*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 92-81153-9*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

**The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.**

**Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.**

**This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.**

*AUTHOR:*

FRICKE, GUSTAV

*TITLE:*

QUAESTIONES DE FONTIBUS PLUTARCHI...

*PLACE:*

BEROLINI

*DATE:*

1883

Master Negative #

92-81153-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

**BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET**

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
FF
Fricke, Gustav,
Quaestiones de fontibus Plutarchi et Nepotis in vita Phocionis, scripsit Dr. Gustav Fricke.
Berolini, Engelhardt, 1883.
38 p. 22½ cm.

118940

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03.17.93 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

GUSTAV E. STECHERT
810 Broadway
NEW-YORK

88P71 FF

Columbia College
in the City of New York

Library.

GUSTAV E. STECHERT
810 Broadway
NEW-YORK.

88P71 FF

Columbia College
in the City of New York

Library.

COLUMBIA COLLEGE
LIBRARY
NEW YORK

# QUAESTIONES
DE
# FONTIBUS PLUTARCHI ET NEPOTIS
# IN VITA PHOCIONIS.

SCRIPSIT

D^R. GUSTAV FRICKE.

1883.

BEROLINI
ENGELHARDT'SCHE LANDKARTENHANDLUNG
CHARLOTTEN-STR. 63.

COLUMBIA COLLEGE LIBRARY NEW YORK

De fontibus quos Plutarchus et Nepos in vita Phocionis secuti esse videantur.

Quamquam nuperrime demum de fontibus Plutarchi et Nepotis in vita Phocionis Klotzius[1]) scripsit, tamen ad hanc quaestionem sane perdifficilem ac fere desperatam aggressi sumus, quod sententiam illius viri doctissimi probare non possumus.

A. De Plutarchi vita Phocionis.

Priusquam ad eas partes quas suscepimus ipsas accedamus, plura nobis ante explicanda sunt. Ac primum quidem de compositione vitae Plutarcheae pauca dicemus.

Postquam in tribus capitibus primis de Phocione et de Catone quocum illum comparare sibi proposuit, Plutarchus pauca generatim praefatus est, initio capitis IV de origine Phocionis narrare incipit patremque eius pistillos fabricasse negat. Quo facto quibus praeceptoribus ille usus sit commemorat et mores vestitumque eius describit. In capite V de vultu et eloquentia Phocionis dicit atque ut quanta in eo fuerit oratio intelligatur, iudicia duorum eiusdem aetatis hominum, Polyeucti Sphettii et Demosthenis, de ea affert. Initio capitis VI de natura Chabriae loquitur et sub imperio eius Phocionem rudimentum militare posuisse atque in pugna ad Naxum commissa navibus Atheniensum in sinistro corna collocatis praefuisse tradit. In capite VII simulatque eum a Chabria vectigalia ab Atheniensium sociis exigenda cum classe missum esse narravit, ad familiaritatem eius cum illo imperatore redit, de qua superiore capite iam dixisse Plutarchum vidimus, et ut Phocionem pro beneficiis gratiam ei referre non omi-

[1]) Ueber die Quellen zur Geschichte Phokions in Diodoros, Arrianos, Nepos und Plutarchos. Inaug.-Diss. Leipzig 1877. Walter Klotz.

13 SEP 1892 Stechert. 27-33

142119

sisse intelligatur, *ἀπόφθεγμα* quod Graeci vocant de Ctesippo filio Chabriae, profert. Abhinc nihil nisi apophthegmeta ad res longe varias ai diversas pertinentia Plutarchus continenter inter se connectit. Initio demum capitis XI illuc revertitur, unde in caqite VII aberravit. Nam verba *Καὶ μὴν οἵγε συμμαχοι* quibus illic narrare pergit artissime cum illa narratione cohaerent, quae initiocapitis VII legitur, remque iam legentibus notam in memoriam redigunt. In capite XII Plutarchus de turbis narrat, quas Philippus rex Macedonum, ut Euboeam ab Atheniersibus abalienaret, iu oppidis huius insulae effecit. Quae turbae intra annos 353 — 350 a. Chr. n. ortae sunt.[1]) Tum temporis Phocio quoniam eum. ol. 94. a. 3, a. 402 a. Chr. n. natum esse veri simile est,[2]) aetate satis longe provectus erat. Nam fere homo quinquagenarius erat, Quamobrem Plutarchus illa apophthegmata quae in capp. IV — XI leguntur nulla alia de causa interposuisse videtur, nisi ut obtegeret, se de spatio quod inter pugnam ad Naxum commissam et Phocionis in Euboeam adventum interest, nihil fere habuisse quod de illo narraret. Quo apophthegmata illa spectent. propter brevitatem narrandi qua Plutarchus utitur, plerumque iam non apparet. In fine capitis 9 Plutarchus altercationis mentionem facit, quae in contione inter Lycurgum, Demosthenis illum familiarem, et Phocionem orta est. Praeter alia illum Phocioni opprobrio vertisse, quod cum Alexander postulasset, ut sibi decem cives traderentur, regis voluntati morem geri populo suasisset. Ol. autem 111. 2. a. 335 paulo post Thebas dirutas illud ab Atheniensibus regem efflagitasse constat.[3]) Etsi quanto post Lycurgus illud probrum Phocioni obiectaverit, ex apophthegmate ipso non ap-

[1]) cf. Kraner in edit. vitae Phoc, Plut. Lips. 1840 pg. 28 in adnot ad. cap. 12.
Schaefer in libro: Demosthenes, III. 2. 330.
Plass: Die Tyrannis in ihren beiden Perioden, II. 75.

[2]) vide Kraner in aditione vitae Phocionis Plut. Lips. 1840, pag. 8 in adnot. ad 8.

[3]) cf. Schaefer, Demosthenes III. 1. 126 sq.



paret, tamen rem in cap. 9 tangi videmus, quae multis annis post illas in Euboea turbas accidit, de quibus Plutarchum infra in capite XII dicere iam scimus.

In extrema capitis X parte de Aristogitone sycophanta apophthegma invenitur. Ille Aristogiton saepius quidem in subselliis apparuit, sed si *μετὰ καταδίκην* eandem habet vim atque *μετὰ καταδίκην θανάτου* neque est cur dubitemus quin res se ita habeat[1]), si verba illa Plutarchi, inquimus, ad Aristogitonem capitis condemnatum spectant, capite X exeunte res commemoratur quae ol. 113. 2. a. 330 facta est.[2])

Illud de Lycurgo apophthegma in cap. 9 de quo supra diximus, aliud de Polyeucto Sphettio praecedit. Quo tempore Phocio adipem Polyeucti irriserit, apophthegma ipsum non docet, sed coniectura id consequi possumus. Bis omni ope Sphettius ille enisus est, ut Athenienses ad bellum cum Philippo commoveret; primum, cum rex ol. 109. 2. a. 343/2 in Epirum invasisset[3]), deinde iterum, cum Elatea ab eo occupata esset. Namque eum popularibus tum defuisse verisimile non est, etsi in illo discrimine rei publicae Atheniensium nihil de opera eius apud scriptores traditum invenimus. Atque ad haec turbulenta tempora illud apophthegma pertinere opinamur et praecipue quidem propter vocem *ἐν καύματι* quae apud Plutarchum legitur. Nam clades apud Chaeroneam Graecis a Philippo aestate allata est.[3a]) At certe, sive Phocio illis verbis de Polyeucto circa Elateae occupationem iocatus est, sive ea demum paulo ante pugnam Chaeronensem pronunciavit, rursus in cap. 9 rem tangi nemo negabit, quae aliquanto post turbas Euboicas accidit, de quibus cap. 12 narratur.

[1]) In apophthemate VII° eorum, quae in Moralibus inveniuntur. Pletarchas eadem narrat; incipit antem his verbis: *Ἀριστογεί τονος δὲ.... μέλλοντος ἀποθνήσκειν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ κτλ.* Quare ita ut supra contendimus rem sese habere putamus.

[2]) secundum Kiessling fr. Lyc. pg. 25 sq. apud. Schaeferum: Demosthenes, III 2. 120, adn. 5.

[3]) Schaefer, Demosth. II. 400.

[3a]) Septimo Metageitnionis mensis die pugnam accidisse notum est. Plut Cam. 19. Metageitnion antem mensi Augusto nostro respondet.

In reliquis apophthegmatis commorari operae pretium non est, quod ne de una quidem quo spectet certo dici potest. Confer de hac re Kraner in adnotationibus ad editionem vitae Phocionis. Postquam de apophthegmatis quae in capp. IV—XI inveniuntur et quamobrem in hac vitae parte a Plutarcho interpositae esse videantur, haec exposuimus, vitam percensere longius pergemus.

Inde a capite XII Plutarchus res quas Phocio in expeditione in quam a civibus in Euboeam missus est, et quas postea gessit, usque ad extremum exsequitur, sed ita, ut bis, in capp. 19 et 30 rerum contextum dissolvat. Priore loco de uxoribus, quas Phocio habuit, et de filio eius narrat, altero loco in cap. 30 inde a verbis *καὶ μέντοι Φωκίων — συγχορηγοῦσιν* plura apophthegmata de Demade interponit.

Sintenis in praefatione ad editionem vitarum Aristidis et Catonis Plutarchum praestanti literarum scientia fuisse commemorat.[1]) Etiam in Phocione legentium oculis aliquot loci occurunt, quos recordationes rerum earum, quas Plutarchus alicubi legit, nemo non agnoscere potest. In hoc numero sunt verba illa, quae in fine capitis VI inde a *καθ' ἕ καὶ τὴν μάψην* leguntur; deinde initio capitis 28 inde ab *Ἐφάνη δὲ ὑπερήφανον τὸ πρός ταγμα* usque ad *τὴν ἄνω πόλιν διαφυλάξουσιν*; praeterea vero illa verba quibus in extremo capite 28, aestimatio eorum continetur qui ab Antipatro civitate privati in exilium eiecti sunt; denique ea quae in priore parte capitis 29 (usque ad *καὶ τύραννος*) et in capite 30 inde a *καὶ μέντοι Φωκίων* usque ad *συγχορηγοῦσιν* narrantur. Huc insuper etiam omnes loci accedunt, quibus inde a cap. 23 res attinguntur, quae extra urbem in bello Lamiaco gestae sunt. De his locis quoniam post fuse dicemus, supervacaneum atque inutile est, eos iam hic enumerare. Quem auctorem uno quoque loco Plutarchus secutus sit, infra docebimus, quoad quidem eius facere possumus. Niebuhrius (Vorträge üb. Alte Gesch. II 359), Sintenisius l. c. aliique Plu-

[1]) Sintenis: Plutarchi Aristidis und Cato, 3. Aufl. von Hercher. Berl. 1870.



tarcho justo jure opprobrio verterunt, quod in rebus enarrandis parum iudicii adhibuit. Etsi in ea quoque vita, de qua disputamus, miro atque caeco amore — Phocionem, uti post demonstrabimus, Plutarchus amplectitur, tamen semel med. cap. 32 *τοῦτον δὲ — πίστις* auctori suo illius nimis studioso obloquitur. Praeterea autem saepius in eas res, de quibus narrat, considerationes et contemplationes intendit. Hoc ei his locis placuit: cap. VII a verbis *ὁρῶν δὲ τοὺς τὰ κοινὰ* usque ad extremum; initio cap. VIII inde ab *ὥστε θαυμάζειν — ορμαῖς αντιτασσόμενον*; cap. 10 inde ab *Ὥστε θαυμάζειν — συνεξετάζεσθαι τοῖς διαφόροις*; initio cap. 32: *ἦν δὲ τοῦτο — συκοφαν τῶν*, eodem denique cap. med. illa verba *τοῦτο δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ — ἐγγενέσθαι πίστις*, de quibus modo supra diximus.

Postquam haec de compositione vitae Phocionis praemissimus, altero loco ea quae de rebus ab eo gestis apud Plutarchum narrantur, cum ceteris auctoribus comparare in animo est. Nam inde facile intelligi potest, qua mente is quem Plutarchus secutus est, in Phocionem fuerit.

In vita Plutarchea in capite VI Chabriam in pugna ad Naxum commissa Phocioni imperium navium in cornu sinistro collocatarum tradidisse legimus. Haec cum iis repugnant quae de illa pugna navali apud Diodorum Siculum in libro XV, cap. 34, 3 narrantur. Iam Wesselingius et Kranerus, ille in editione Diodori, hic in editione vitae Plutarcheae, haeserunt quid de hac re iudicarent. Diodori enim testimonio Cedo quidam Atheniensis in sinistra acie praefuit, qui cum nave perforata mari haustus est. Quaestio igitur hoc loco existit, utrum maior fides Plutarcho an Diodoro habenda sit. Magis autem inclinat animus, ut arbitremur, Plutarchum vel potius auctorem eius res Phocionis oratione paulum exaggerasse. Nam Phocio, qui quo tempore Lacedaemonii cum Atheniensibus ad Naxum congressi sunt, adolescens circiter viginti septem annorum erat, etiam puerilior videtur fuisse quam cui Chabrias imperium sinistrae aciei permittere posset. Eum autem omnino illi pugnae interfuisse, longe absumus, ut infitiemur. Trierarchus fortasse navi quam rei publicae dederat praepositus (cf.

cap. VII: *πλεύσαν τα τῆ ἑαυτοῦ τριήρει*) illo die in sinistro cornu pugnavit.

Initio capitis XIV Phocionem omnibus rebus confectis ab Eubola domum redisse sed paulo post Athenienses scientiam rei militaris et fortitudinem eius desideravisse Plutarchus scribit. Atque eo magis in verbis Aeschinis rhetoris in oratione *κατὰ Κτησιφῶντος* inscripta § 87 offendimus, cui et ipsi satelliti Philippi regis minime in animo erat, Phocionem perstringere. Nam Phocio inter defensores Aeschinis a Demosthene accusati in iudicio exstiterat cf. Schaefer in libro: Demosthenes und seine Zeit II 358 sq. Aeschines autem l. l. his verbis utitur: . . . . *ὁρῶν τὸ στρατόπεδον τὸ τῆς πόλεως εἴς τινας δυς χωρίας κατακεκλιμένον, ὅθεν μὴ νικήσασι μάχην οὐκ ἦν ἀναχώρησις οὐδὲ βοηθείας ἐλπὶς οὔτ' ἐκ γῆς οὔτ' ἐκ θαλάσσης, κτλ.* Idem vir doctus, cuius librum modo laudavimus, alio loco (II 77) adnotavit, acrius Phocionem vituperari non posse. Etiam Demosthenes illud Aeschinis iudicium confirmat. Nam in Midiana 162 hostes copias Atheniensium in obsidione tenuisse et equitatum domi relictum ad eam solvendam evocatum esse dicit. Quapropter iterum impendio veritatis laudes Phocionis auctas esse in vita Plutarchea quisque concedet.

In capite XVII Thebis dirutis Alexandrum postulasse narratur, ut sibi Demosthenes, Lycurgus, Hyperides, Charidemus traderentur. Totius contionis oculos in Phocionem conversos fuisse et nominatim saepe evocatum eum exstitisse atque populo suasisse, ut regis voluntati obtemperaret. Hoc loco Plutarchus vel potius auctor eius repulsam, quam hac oratione habita Phocio a populo tulit, silentio prorsus praeteriit. Diodorus enim in libro XVII c. 15, qui in reliquis easdem sententias orationis a Phocione habitae quas Plutarchus memoriae prodit, Athenienses verba Phocionis indignatos de suggestu tumultu eum eiecisse narrat. Quae cum ita sint, Plutarchi auctorem rem de fama Phocionis detrahentem reticuisse apparet.

In eodem capite paulo inferius Phocionem populi scitum de civibus Alexandro tradendis ad regem detulisse scriptum



invenimus. Diodorus l. c. et in vita Demosthenis c. 23 Plutarchus ipse Phocionis mentionem nullam faciunt sed illam legationem Demadem pecunia corruptum suscepisse narrant. In hac re Plutarchum sibi ipsi non constare et cum Diodoro pugnare jam Kraner in adnotatione ad cap. 17 vidit neque dubitamus cum eo de iudicio consentire, quod l. c. de Phocionis opera in illa legatione tulit. Auctorem autem Plutarchi erga Phocionem nimis benevolentiae vel potius studii praestitisse his rebus apparet, quas exposuimus.

Tertio loco de rebus Phocionis apud Plutarchum omissis pauca dicenda sunt. Mirum enim est, quod res quaedam a Phocione in Cypro insula gesta in vita eius omnino silentio transita est. Itaque non abest suspicio quin auctor quem Plutarchus secutus est, res Phocionis non solum exaggeraverit et ei iniquas narrando depravaverit sed etiam plane compresserit.

Illis temporibus persaepe factum est, ut homines rei militaris periti sive ipsi mercede militarent sive mercenarios alerent. cf. Wachsmuth in libro qui Hellenische Alterthumskunde inscribitur, II 309. In numero eorum fuerunt Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Charidemus Orita. cf. Schaefer, Demosth. I 379 sq. Duabus potissimum de causis tum militiam capessere homines soliti sunt; aut cupiditate praedae aut taedio rerum domesticarum.

Diodorus XVI 42, 3 de Cypriorum defectione ab Artaxerxe rege narrat, Artaxerxem, ut in ditionem potestatemque imperii sui eos redigeret, Idrieo Cariae dynastae praecepisse. Quadraginta navibus coactis Idrieum in Cyprum insulam Phocione Atheniense et Euagora ducibus misisse, ol. 107, 2, 3. Schaefer, Demosthenes I 439 seq., insulam rursus subactam esse censet.

Iam quaeritur, quare Phocionem ad regem Persarum militatum abisse auctor Plutarchi reticuerit. Neque respondere cunctamur, nobis non dubium esse, quin hoc idcirco ille silentio praetermiserit, ne Phocionem illum auctorem omnium virtutum opprobrio hominis divitiarum cupidi offerret. In hac

expeditione autem Phocio modicam rem familiarem suam sibi comparavisse mihi videtur, quam eum possedisse iam ex vita Plutarchea ipsa apparet. (cf. cap. VII de quo supra iam dictum est et cap. 20 de filio Phocionis). De paupertate, qua Phocio fuisse dicitur, bene Bernays in libro: Phocion und seine neueren Beurtheiler pg. 128 disseruit.

Minoris momenti id putamus, quod in vita omissum est, Phocionem aliquot iam annis ante ol. 105, 1 anno 360 in eundem regem profectum esse et apud Atarnam exadversus Lesbum insulam Athenodoro Imbrio cladem attulisse, paulo post cum eodem congressum detrimentum accepisse. cf. de hac re Schaefer, Demosthenes I 137, sq. Fortasse auctor Plutarchi hanc rem idcirco silentio praeteriit, ne laudem imperatoriam Phocionis, quam eum auxisse supra vidimus, ipse imminueret.

Magnopere autem admirandum est, quod Aeschines, acerrimus ille Demosthenis adversarius, qui earundem partium atque Phocio fuit, in vita Plutarchea, etsi bis occasio eius rei data erat, nullo loco commemoratur. Atque hoc magis in eo offenditur, quod in capite XIII plures alioquin ignoti homines: Thallus, Cineae filius, Glaucus, Polymedis filius, Cleophanes quidam nominantur, Aeschinis nomen, qui propter eximiam fortitudinem in pugna ad Tamynas commissa corona donatus est (cf. Aeschines II 167 — 171 et Schaefer, Demostenes I 212), non invenitur.

Altera Aeschinem nominandi occasio iam supra oblata erat in cap. X post illud apophthegma, quod verbis *εὐμενῆ πᾶσι καὶ κοινὸν καὶ φιλάνθρωπον ἑαυτὸν παρεῖχεν, ὥστε καὶ πταίσασι βοηθεῖν καὶ κινδυνεύουσι συνεξετάζεσθαι τοῖς διαφόροις* finitur (in fine ill. cap.). Nam Phocio praeter alios, si id quod a Plutarcho narratur verum est, etiam Aeschini a Demosthene legationis falsae accusato in iudicio adfuit atque effecit, ut ille absolveretur. cf. Schaefer, Demosthenes II 382, 386 et saepius.

Quibus de causis auctor Plutarchi de Aeschine prorsus siluerit, diiudicare non audemus. Certe haec res commemoratione digna est,



*De ratione, quam Plutarchus in Phocione conscribendo iniisse videatur.*

Ut firmum quaestioni illi, quam tractandam nobis sumpsimus quasi fundamentum subiciamus, inde proficisci debemus, ut qua consuetudine veteres omnino scriptores de fontium usu in conscribendis libris uti soliti sint explicemus. Veteres autem per longiora spatia in libris componendis, velut Livium et Diodorum unum auctorem secutos esse H. Nissen in libro: Krit. Unters. üb. d. IV u. V Dec. d. Livius, K. W. Nitzsch in: Die Röm. Annal., Volquardsen, Collmann aliique demonstraverunt. Etiam Plutarchum quotiens ei potestas hanc in usu fontium consuetudinem retinendi fuit, totiens unum fontem tamquam pro fundamento posuisse Haug in: Die Qu. Plut'. in d. Lebensb. der Griechen et Peter in: Plut'. Qu. in d. Biogr. der Römer pg. 41 seq. docuerunt. Quare eandem rationem vitam componendi in Phocione quoque illum observasse per se verisimile est.

*De fonte principali.*

Priusquam qui fons principalis in Phocione fuerit doceamus, quae capita et quamobrem illa capita fonti principali tribuenda esse nobis videantur, dicamus necesse est.

Ac primum quidem his locis Plutarchus fontem quem sibi elegit principalem videtur esse secutus cap. IV inde a verbis *Φωκίωνα γὰρ οὔτε γελάσαντα*; cap. VI usque ad *τοῦ γὰρ εὐωνύμον κέρως ἀπέδωκεν αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν*; cap. VII in priore parte usque ad *ὑπομένων σου τὸν υἱόν*; capp. XII — XVIII praeter illos duos versus quibus cap. XVIII finitur; capp. XXI — XXVII; in extrema parte cap. XXVIII inde ab *Ἡμὲν οὖν φρουρὰ κτλ.* praeter numerum ipsum qui ibi legitur; in posteriore capitis XXIX inde ab *Ὅμως δ'οὖν κτλ.*, in capp. XXX — XXXVIII praeter omnes eos locos, quos supra iam enumeravimus, et illam narrationem de Phoco, Phocionis filio, in altera parte capitis XXXVIII.

Interroganti autem, qua de causa omnes illos locos ex uno eodemque auctore sumptus esse nobis persuasum sit, in

iis certa quaedam insignia inveniri respondemus, quae tamquam vestigia in pulvere relicta iu unum auctorem ferunt.

Ac primum quidem illorum locorum proprium est, quod in iis mens spirat studiis, quibus omnes Graeci patriae libertatisque amantes tum movebantur, infesta. Nam cap. XVI *οἱ βέλτιστοι* ii vocantur, qui pacis studiosi ab inimicitiis cum Philippo Athenienser dehortati erant: *Γενομένης δὲ ἥττης ..... ἐφοβήθησαν οἱ βέλτιστοι.* Oratores autem et duces, qui adversus Macedones stabant, omnes denique populares cum contemptione quadam et obtrectatione constanter nominantur. Oratoribus, quibuscum Phocionem dissedisse ex verbis *φοβηθεὶς τοὺς ῥήτορας τῶν Ἀθηναίων* in fine cap. XIII apparet, cap. XIV bis plaga infligitur: ..... *ὡρμημένων δὲ τῶν Ἀθηνίων βοηθεῖν οἱ ῥήτορες ἠγωνίσαντο τὸν Χάρητα στρατηγὸν ἀποσταλῆναι* .... et paulo inferius: *ὁ δὲ δῆμος ὑπὸ τῶν ῥητόρων παροξυτόμενος ἠγανάκτει κτλ.* His igitur locis primum culpae oratorum assignatur, quod Athenienses Charetem iudicio optimatium hominem non idoneum Byzantinis auxilio miserunt. Deinde ab iisdem populum ita excitatum esse in cives illius urbis a Philippo obsessae altero illo loco legimus, ut auxilio venisse eum sc. populum paeniteret. Quomodo res vero se habuerit, infra docebimus. Initio cap. XVI unus ex adversariis Phocionis *τις τῶν εἰωθότων κινδεύεσθαι περὶ τὴν Ἡλιαίαν καὶ συκοφαντεῖν* appellatur. Initio cap. XXI oratores consilio Phocionis rei publicae de sententia quidem amicorum eius salubri obfuisse et eodem cap. med. *τοὺς εἰωθότας ἀπὸ τοῦ βήματος χρηματίζεσθαι* frequentes ad Harpalum concurrisse apud Plutarchum accipimus. Oratores autem qui ne ad Alexandrum in Asiam naves submitterentur populo suaserunt, Demosthenes et Hyperides fuerunt. cf. Schaefer, Demosthenes III 161. Acerbissime vero oratores populares cap. XXIII medio accusantur verbis .... *τοὺς δὲ ῥήτορας ἀπέχεσθαι τοῦ κλέπτειν τὰ δημόσια.* Auctor igitur, quem Plutarchus secutus est, de principibus partium popularium non solum contemptim loquitur sed etiam eos non rei publicae saluti sed suis commodis servisse contendit. Quod opprobrium eo impudentius est, quia rhetorum nomine aliquot locis



Demosthenes ipse roditur quo nullum ex iis qui tum in civitate Atheniensium plurimum valebant, commoda reipublicae innocentius atque incorruptius tutatum esse nemo certe negabit. Velut verbis illis *οἱ ῥήτορες ἠγωνίσαντο τὸν Χάρητα στρατηγὸν ἀποσταλῆναι* in cap. XIV Demosthenes occulte petitur. Nam Demosthenes cum illo tempore omnibus Philippi consiliis praeter caeteros occurrit atque obstitit, tum rogationem pertulit, ut Chares Byzantinis auxilio mitteretur. Praeterea autem distortio quaedam veritatis et depravatio in verbis *ὁ δὲ δῆμος ὑπὸ τῶν ῥητόρων παροξυνόμενος* (ibid.) inest, quod Demosthenes non modo non irritavit sed potius animos civium sedavit, qui iniurias a sociis ante illatas recordati ab illa Demosthenis rogatione abhorrebant. cf. Plut. Demosth. cap. XVII.

Iam ii loci nobis enumerandi sunt, quibus de ducibus qui civitates Graecas ab impetu Macedonum defenderunt, inique existimatur. Qua mente in eos fuerit auctor Plutarchi. ex iudicio intelligitur quod cap. XIV de Charete tulit. Nam eum minus quam pro copiis suis gessisse ibi legimus: *καὶ πλεύσας ἐκεῖσε Χάρης οὐδὲν ἄξιον τῆς δυνάμεως ἔπραττεν κτλ.* Revera autem navibus Byzantinorum adiutus classem Philippi regis Demetrio duce ille disiecit et in Pontum refugere coëgit. Quo facto Byzantini a mari liberati erant oppugnatione. cf. Schaefer, Demosth. II 476 sq.

Aliud malevolentiae et obtrectationis exemplum cap. XXVI occurrit. Bello Lamiaco loco Leosthenis demortui qui Graecorum peditatui praefuerat, Antiphilum suffectum esse notum est. Meno Thessalus tum equitatui eorum praepositus erat. Initio illius cap. XXVI Graecos apud Crannonem ab hostibus victos *ἀπειθείᾳ πρὸς τοὺς ἄρχοντας* sc. Antiphilum et Menonem *ἐπιεικεῖς καὶ νέους ὄντας κτλ.* libertatem turpissime prodidisse apud Plutarchum legimus. Quantum haec verba a veritate abhorreant, ex ea descriptione illarum rerum apparet, quam Diodorus reliquit, quem in libro XVIII Hieronymum Cardianum iudicem sane gravem secutum esse constat. cf. Reuss in libro: Hieronymus von Kardia, Berlin 1876. Hieronymus autem (cf. Dind. 18, 13, 6) non solum Antiphilum hominem *συνέσει στρατηγικῇ*

*καὶ ἀνδρεία* insignem dicit sed etiam civitates Graecas aliquanto post pugnam illam et vi et artibus Antipatri adductas pacem petisse. cf. Diod. 18, 17, 6—8. Quare illud crimen *ἐπιεικείας καὶ νεότητος* neque Antiphilum neque Menonem meritos esse negare non dubitamus. Certe Plutarchus, si Hieronymum secutus esset, nec de illis viris nec de Graecis tam inique iudicasset.

Restat ut quid auctor Plutarchi omnino de popularibus iudicaverit paucis exponamus.

Ac primum quidem non dubium est, quin ille de iis detrahendi causa contumeliose maledicque dixerit. Nam med. cap. XVI *θορυβοποιοὶ καὶ νεωτερισταί* ii appellantur, qui quamquam ad Chaeroneam iniquo Marte a Graecis pugnatum erat, tamen amore libertatis incensi flagitabant, ne bello desisteretur: *Γενομένης δὲ ἥττης καὶ τῶν θορυβοποιῶν καὶ νεωτεριστῶν ἐν ἄστει τὸν Χαρίδημον ἑλκόντων ἐπὶ βῆμα καὶ στρατηγεῖν ἀξιούντων ἐφοβήθησαν οἱ βέλτιστοι.* In fine cap. 20 de popularibus hisce verbis narratur: . . . . *τοὺς δὲ πολυπράγμονας καὶ νεωτεριστὰς αὐτῷ τῷ μὴ ἄρχειν μηδὲ θορυβεῖν ἀπομαραινομένους ἐδίδαξε φιλοχωρεῖν καὶ ἀγαπᾶνγεωργοῦντας.* Quanta acerbitas horum verborum et ironia sit, neminem latet. Omnibus notum est, Antipatrum post pugnam ad Crannonem ea conditione cum Atheniensibus pacem composuisse, ut omnes quorum census minus duo milia drachmarum erat, civitate privarentur. Quo factum est, ut Diodori testimonio (lib. 18 c. 18 § 5) amplius duodecim milia civium uno velut ictu capite diminuerentur, novem milia integram civitatem retinerent. Illi capite diminuti apud Plutarchum *πολυπράγμονες καὶ νεωτερισταί* vocantur eosque servitute assuefacere memoriamque superioris conditionis in animis eorum exstinguere, id auctor, quem Plutarchus secutus est, *διδάσκειν φιλοχωρεῖν καὶ ἀγαπᾶν γεωργοῦνιας* dicit. Quid? quod auctor Plutarchi in extremo cap. 28 homines illos civitate orbos et in exsilium eiectos horrenda et indigna pati sibi videri (*ἐδόκουν σχέτλια καὶ ἄτιμα πάσχειν*) domi autem remanentes „*ἐκπεπολιορκημένοις ἐῴκεσαν*“ scribere non veretur, quasi pro nihilo esset „*ἀπυψηφίζεσθαι τοῦ πυλιτεύματος*“, nonne haec verba argumento



sunt, eum in Athenienses fuisse animo infestissimo et quod tum temporis saepius idem erat, causam Macedonum egisse?

Populares autem auctor Plutarchi non solum ut homines tumultuosos, rerum novarum studiosos plurimisque occupationibus distentos increpat verum etiam multis aliis vitiis servientes introducit. Inter eos reperiuntur, ut Plutarchi verbis utar, *ἄτακτοι καὶ λάλοι καὶ πονηροί.* cf. XII: *Τῶν δὲ ἀτάκτων καὶ λάλων καὶ πονηρῶν διαδιδρασκόντων ἐκ τοῦ στρατοπέδου καὶ ἀποχωρούντων κτλ.* Cap. 23 Phocio tum se bellum suasurum esse dicit, *ὅταν τοὺς μὲν νέους ἴδω τὴν τάξιν βουλομένους φυλάττειν.* Endem popularibus iniquum animum ea significant quae in altera parte capitis 24 et quae in cap. 25 inde a verbis *Ὡς δὲ προστρέχοντες ἀλλαχόθεν ἄλλος διεστρατήγουν κτλ.* leguntur.

Constans igitur in populares eorumque principes odium, quod iterum atque iterum elucet, prima est causa, cur illa capita, quae supra enumeravimus, universa ex uno atque ex fonte principali Plutarchi sumpta esse putamus. Altera autem causa est, quod in iis homines ab Academia profecti prae oratoribus, qui tum Athenis florebant, mirum quantum praedicantur. Eorum opera et consiliis rei publicae ab oratoribus ad discrimen ac paene ad interitum adductae salutem allatam esse apud Plutarchum saepius legimus. Velut in cap. XIV omnis culpa in oratores confertur, quod Chares etsi propter vexationes apud socios male audiebat, tamen Byzantinis auxilio missus est. Quamorem ei aditum in oppidum oppidanos clausisse, Phocionis autem classem libenter acepisse, praesertim *Λέων ἀνὴρ Βυζαντίων πρῶτος ἀρετῇ καὶ τῷ Φωκίωνι γεγονὼς ἐν Ἀκαδημείᾳ συνήθης κτλ.* oppidum civitati tutum praestaret. Itaque contigisse, ut Byzantium conservaretur; *ὃ μὲνίστὴν ῥοπὴν ἐποίησε πρὸς τὸ σωθῆναι τὸ Βυζάντιον.* (ibid. cap. XIV). Phocionem autem ipsum Platoni et Xenocrati operam dedisse med. cap. IV narratur.

Initio cap. XXVI Antipatrum post clàdem apud Crannonem cum exercitu ad Athenas profectum esse Plutarchus tradit. Cum Demosthenes et Hyperides se subduxissent, Phocionem de pace Thebas in castra illius missum esse

Deinde eundem cum aliis legatis ad Antipatrum iterum abiisse Atheniensesque ei Xenocratem collegam legationis dedisse (cap. XXVII in.). *Τοσοῦτον γὰρ ἦν ἀξίωμα τῆς ἀρετῆς τοῦ Ξενοκράτους καί δόξα καὶ λόγος παρὰ πᾶσιν κτλ.* Ex quo intellegitur, Athenienses omnem spem leniores pacis condiciones impetrandi in auctoritate Xenocratis philosophi eiusdemque inquilini — nam Calchedone natus erat — posuisse et ab eo exspectasse, ut rem publicam ab interitu, in quem culpa illorum oratorum esset delata, retraheret. In fine denique cap. 29 idem philosophus iis opponitur, qui ab Antipatro civitate privati erant. Phocioni illo loco laudi tribuitur, quod eos foro atque magistratibus arcebat et in ea condicione acquiescere cogebat in qua Antipatri iussu erant. Xenocratem autem in numerum civium asciscere voluit.

Quoniam igitur in Phocione operae et consilia philosophorum atque omnino hominum philosophia eruditorum cum oratoribus et vulgo indocto crebro comparantur, ea capita quibus hoc factum est, fonti principali quem Plutarchus habuit, universa ascripsimus. Non alienum videtur esse hoc loco, id iam exponere quod de persona huius fontis ex eadem illa re colligi potest. Considerantes enim nobiscum in animo eos locos de quibus modo diximus, ad hanc opinionem adducti sumus, ut putemus, auctorem Plutarchi eorum philosophorum sectam, quibus inimicitiae cum oratoribus erant, secutum esse, i. e. Peripateticorum. Quam opinionem ut comprobemus, in literarum historia illorum temporum paulum commoremur necesse est.

Phocionis aetate inter oratores maxime floruit Isocrates ille, qui paulo post cladem ad Chaeroneam Graecis allatam nonaginta octo annos natus mortuus est. cf. Blass in libro: Attische Beredsamkeit II 89. Sententias autem quas de arte qua iuvenes instituebat, in orationibus suis ille protulerat, primum Plato occulte quidem, deinde Aristoteles aperte oppugnabat, qui cum Athenis ab anno 387 a. Chr. n. usque ad a. 347 moraretur, Isocratem aemulans rhetoricam docebat. cf. Blass, Att. Ber. II 26 sq. et 59, 413. Postea quoque cum iterum in urbem redisset, quotidie tempore pomeridiano Aristo-



teles exercitationes dicendi in Lyceo instituebat, cf. ibid. pg. 63. Quem morem etiam ii observabant, qui post mortem eius scholae Peripateticorum praefuerunt, cf. Blass II, pg. 63. Quo factum est, ut illa pugna iam a conditore scholae suscepta inter Peripateticos et oratores numquam refrigesceret, cf. Blass, II, 382. Rhetores autem illi, quibus obtrectari in Phocione supra vidimus, aut ipsi Isocratis discipuli fuerant — in eo numero sunt Hyperides et Lycurgus — aut Isaeo Isocratis discipulo operam dederant, velut Demosthenes, cf. Blass II, 52. 452.

Quae cum ita sint, quoniam auctor Plutarchi laudes philosophorum prae oratoribus praedicat, a familia Peripateticorum profectum eum historiam scripsisse veri simile fit.

Tertia denique causa, cur illa quae enumeravimus capita fonti principali attribuimus, in similitudine aequalilateque posita est, quam in illis capitibus in rebus enarrandis eminere nemo non videt. Auctor enim Plutarchi tanta brevitate usus est, ut sibi non proposuisse videatur, ut qui fuisset rerum contextus atque cursus explanaret sed potius ut facete dictis et narrationibus ad audiendum iucundis animos legentium oblectaret.

Neque hoc difficile est exemplis probatu.

In capite XV saltem ex Plutarchi verbis neque quamobrem Megarenses clam ab Atheniensibus auxilium petierint intelligitur neque cur Phocio a Boeotis timuerit. Philippum autem regem Macedonum tum Megarensibus praesidium imponere studuisse Kraner in commentariis ad editionem vitae Phocionis iam commemoravit. Quam obrem Boeoti Megarensibus insidiati sint, Schaefer in libro: Demosthenes u. s. Zeit II, 341 exponit.

Eadem brevitate narrandi utitur Plutarchus initio cap. XVI, ubi Phocionem, cum praetores annui Athenis crearentur, in urbe non adfuisse sed ab insulis redisse ille narrat. Unde enim venerit quidque interea gesserit silentio praeterit. Scimus autem eum ad litora Thraciae navibus profectum esse et quo tempore Philippus Elatea potitus est, in patriam revertisse, cf. de hac re Schaefer, II, 496 sq.

Initio capitis XXI Alexandrum regem ab Atheniensibus triremes postulasse, sed contra dixisse oratores legimus. Quorsum naves ad regem in Asiam mitterentur, Plutarchus reticuit et apophthegma Phocionis narrasse satis habet. Tum temporis autem Alexander classem ex civitatibus Graecis coëgit metu Memnonis, qui classi regis Persarum praepositus mare vere anni 333 a. Chr. n. tenebat, cf. Schaefer, Dem. III. 157. Similem in modum in cap. XXI de Harpali Athenas adventu, in altera parte cap. XXIV de expeditione Phocione duce in Boeotos suscepta, initio denique cap. XXV de Micione Plutarchus res leviter attingit et quasi praetervolat, non enarrat. Quos locos diligentius persequi supervacaneum atque inutile est, quoniam id quod volumus satis effecisse nobis videmur. Es iis autem quae exposuimus, iam patet, auctorem Plutarchi in scribendo non cognitioni rerum operam dedisse sed iucunditatem delectationemque captasse.

Postquam quibus de causis capita ea quae supra enumerasimus ex fonte principali Plutarchi sumpta esse nobis videantur et qualis ille fons sit exposuimus, reliquum est, ut ad imaginem eius quasi melius exprimendam quaeramus, utrum Plutarchus fonte primario an derivato usus sit. Ac nobis quidem persuasum est, eum in hac Phocionis parte fontem primarium secutum esse i. e. ex auctore sua sumpsisse, qui eodem tempore vixit quo Atheniensis ille.

De causis autem quae nos in hanc sententiam adduxerunt, altera est, quod Plutarchus omnino fontes primarios sequi solet, cf. Adolf Schmidt in libro: Pericles u. sein Zeitalter, II, 47. Ex quo veri simile fit, eum etiam in Phocione hanc consuetudinem observasse. Altera causa est, quod in vita praesertim extrema multa reperiuntur, quibus illud quod contendimus comprobetur. Etenim inde a capite XXIII res vel in ipsis Athenis vel in vicinia urbis gestas, quarum memoria apud alios scriptores prorsus nulla est, commemoratas invenimus. Satis erit summas tantummodo res exempli gratia proferre. In cap. 25 Micionem quendam naves ad Atticam appulisse sed a Phocione fusum fugatumque esse legimus. In cap. 27 Xenocratem inquilinum Phocioni



collegam ad Antipatrum datum esse; cap. 33 med. Phocionem ab Athenis fugientem et legatos Atheniensium ad Polysperchontem missos ad Pharygas, vicum Phocidis, inter se concurrisse. Nec minus stilus spectatoris et testis ex verbis iis cognoscitur, quibus Phocionis amicorumque eius reditus in urbem initio cap. 34 narratur. Nam via, qua illi urbem intraverunt, accurate describitur: Phocionem et comites eius curribus vectos per Ceramicum in theatrum in custodiam deductos esse. Deinde Clitus quidam et Conopion nominantur, homines aliunde obscuri; ille Phocionem Athenas deduxit (cap. 34), hic mercede conductus corpus eius igne cremavit (cap. 37). Initio eiusdem cap. 37 Phocionem die undevicesimo mensis Munichionis supplicio affectum esse eodemque die equites ad Iovis honorem pompam duxisse commemoratum invenimus. Supra iam (c. 13 med.) inter eos, qui ceteris virtute excellebant in pugna ad Tamynas facta, Thallus, Cineae filius, Glaucus Polymedis filius, Cleophanes quidam enumerantur, quorum nomina nusquam alibi occurrunt.

Nemo vero tot et tales res minutas literis mandat nisi qui aut ipse rebus interfuit aut ex iis audivit, qui interfuerunt. Itaque non dubium videtur, quin auctor Plutarchi illis fluctibus civilibus, quibus Phocio interiit, Athenis versatus sit.

Postquam imaginem auctoris, quem consuluit in primis Plutarchus, ex vita tamquam ex lapide exsculpsimus, ea quae explicavimus paucis complectamur necesse est.

Primum ultra modum Phocioni favit et causam Macedonum egit animoque ab Atheniensibus fuit alieno;

deinde perquam veri simile esse docuimus, eum Peripateticorum sectam secutum esse;

tertium ei non mera historia antiquissima in scribendo fuit cura sed oblectamenta legentium;

quartum auctor Plutarchi illis temporibus, de quibus scripsit, in urbe versatus est.

Restat, ut in quem haec omnia quadrent dicamus. Atque cogitantibus nobis ea quae exposuimus procul dubio Plutarchus libris Duridis Samii tamquam fonte principali usus

esse videtur. Qua in sententia primum idcirco sumus, quod Plutarchus ipse bis Duridem (c. 4 et c. 17) nominat. Huc etiam illud accedit, quod Plutarchus in cap. 17 ita eum laudat, quemadmodum fontes, quos sibi elegit principales, laudare solet. Adolfus Schmidt enim in libro: Pericles u. seine Zeit I, 207 sq. II, 50 a Plutarcho fontem principalem quem secutus est tum nominatim appellari demonstrat, cum ab eo dissentiat aut rem notabilem vel singularem ex eo sumptam commemoret. Quid vero tam singulare est quam id, quod illo loco (c. XVII) narratur: Alexandrum nunquam nisi in epistolis ad Phocionem scriptis *Χαίρειν* ascripsisse? Praeterea in neminem alium melius ea conveniunt, quae supra a fonte principali Plutarchi postulavimus. Nam Duris animo in Athenienses infenso fuit iisque maledicendi facultatem quaecunque dabatur arripuit, cf. Eckertz, de Duride Samio, Bonnae 1842, pg. 26 et 27. Deinde praeceptorem habuit Theophrastum et circa annum a. Chr. n. 322 Athenas se contulit, cf. Müller, F. H. G. vol. II, pg. 467. Ex quo efficitur, ut Peripateticorum sectam secutus sit et illis turbulentis temporibus Athenis fuerit, quibus potentia populi in civitatibus Graeciae restituta est. Nec minus ad Ducidem illa conjectura convenit, quam de inimicitiis auctoris Plutarchi cum Isocrateis supra protulimus. Nam rerum scriptores quidem, qui huius rhetoris e ludo exierunt, Ephorum et Theopompum, Duris insectatur eorumque de gloria delibat, cf. Blass, Attische Bereols. II, 379. 404. Quare quoniam scriptorum ab Isocrate profectorum gloriam imminuit, cur item oratorum ab illo institutorum gloriam non imminuerit?

Denique etiam id quod tertio loco ab auctore Plutarchi supra postulavimus, in Duridem cadit. Nam sibi non hoc in libris conscribendis proposuerat, ut principes illos scriptores velut Thucydidem aliosque imitaretur, sed ut res ad audiendum iucundas vel mirabiles et facete dicta congereret atque ita legentium animos delectaret, cf. Eckertz pg. 26/27.

Quibus de causis in ea sententia sumus, ut putemus, in Phocione Plutarchum libris Duridis Samii tamquam fonte principali usum esse. Diodori testimonio (XV, 60. 6) Duris



ol. 102. 3. 370 historiarum initium posuit. Tamen etiam id quod Plutarchus de pugna ad Naxum commissa narrat, ei attribuere non dubitamus, quod eum res ante hunc terminum gestas commemorasse in Plutarchi vitis Alcib. cap. 32 et Pericl. cap. 28 videmus.

### *De fontibus in reliquis Phocionis partibus.*

Praeter Duridem duos alios auctores Plutarchus ipse nominat: c. 4 Idomeneum Lampsacenum et c. 17 in fine Charetem Mytilenaeum.

Quamquam auctoritatem Idomenei, qui patrem Phocionis pistillos fabricatum esse tradidit, Plutarchus c. 4 imminuit, nihilo secius aliis locis in vita eum ille nobis videtur secutus esse.

Cum libri Lampsaceni illius, qui ad extrema minimum Alexandri Magni tempora pertinebant, longe maxima ex parte casu interierint, fieri quidem non potest, ut id quod opinamur necessarie demonstremus, sed si locos quibus Plutarchus Idomeneum alibi laudat consideraverimus, opinionem quam comprehendimus probabilem fore speramus.

Provocat enim Plutarchus ad Idomeneum in vitis Periclis (capp. 10 et 35) et Aristidis (capp. 1. 4. 10) et Demosthenis (capp. 15 et 23), qui viri quamdiu rei publicae gabernacula tenebant, populi causam agebant. Ex quo veri simile fit, Plutarchum, ex Idomenei libro, qui *περὶ δημαγωγῶν* inscribitur, ea deprompsisse. Voluptate autem quadam ille Lampsacenus res domesticas ac familiares eorum de quibus narrat foras efferre solebat. Cuius rei documento sunt ea, quae Athenaeus de vita privata virorum illustrium ex libris eius excerpsit: 533d et 576c de Themistoclis amoribus, 590 c. d. de Hyperidis, 592f de Demosthenis, 611d de Aeschinis Socratici amoribus. Etiam de Phocionis vita privata Idomeneus scripserat. Nam Plutarchus ipse, ut supra commemoravimus, eum de origine Phocionis consuluit.

In extrema vita de Phoco, filio Phocionis narratio legitur, qua de moribus eius detrahatur. Quae narratio his verbis

incipit: *Τοῦτον οὔτε τἆλλα σπουδαῖον ἄνδρα γενέσθαι φασί, καὶ παιδίσκης κτλ.* (cap. 38). Idem fere iudicium supra iam cap. 20 de Phoco fertur: *καὶ γὰρ ἦν ἄλλως φιλοπότης καὶ ἄτακτος ὁ νεανίσκος.* Quare mirum est quod Plutarchus in cap. 38 illa quae laudavimus verba scribit, tamquam si novi quid de Phoco afferat. Ex quo colligitur, eum cum illud in cap. 38 iudicium scriberet, iam oblitum esse quod supra de Phoco iudicavit. Hoc autem fieri potuit, si in cap. 38 alio fonte hausit atque in cap. 20.

In cap. 38 aliquid tale narratur, quale apud Idomeneum invenire consuevimus. Nam eadem labecula ibi Phoco aspergitur, quam ut supra demonstravimus, aliis quoque Idomeneus aspergere solet. Quare illam narrationem in cap. 38 ei tribuendam esse censemus.

Alius igitur fons in cap. 20 quaerendus est. Phocus quidem etiam hoc loco vituperatur, Phocio autem laudatur. Kraner in commentariis ad hoc caput et Klotz pg. 47 ea quae de filio Phocionis illo cap. narrantur ex Diogene Babylonio cognomine Stoico Plutarchum descripsisse putant. Contra autem haec loquuntur. Primum semel (Cato c. 22) nomen Diogenis Stoici apud Plutarcham in vitis occurrit, libri eius omnino nusquam. Quamobrem ille mihi libros Diogenis prorsus neglexisse videtur. Deinde amplius centum quinquaginta annis post Phocionis interitum Stoicus ille floruit. Nam anno circiter a Chr. n. 155 una cum Carneade Athenis Romam migravit, cf. Plut. Cato cap. 22 initio. Ipse igitur illam narrationem, quae apud Plutarchum in cap. 20 legitur, alicunde non depromere non potuit. Quae cum ita sint, concentus verborum qui inter Plutarchum et Diogenem (apud Athenaeum IV, pg. 168e) intercedit, inde ortus esse videtur, quod uterque ex eodem fonte hausit. Duridem autem, quem ut supra docuimus, maxima ex parte Plutarchus in Phocione secutus est, in cap. 20 quoque illius fontem esse, ex eo veri simile fit, quod et Phocio laudibus effertur — hoc autem vel impendio veritatis Duridem fecisse vidimus — et genus narrandi tale est, quale Samii proprium esse exposuimus. Cum capite 20 vero ea quae capite 19 narrantur, tam arte cohaerent, ut



ex eodem fonte ea fluxisse nemo negare possit. Ita numerus eorum capitum, quae Plutarchus ex fonte principali suo sumpsit, duobus capitibus crevit.

Contextum autem rerum quae apud Plutarchum in capp. 18. 19. 20. 21 narrantur, etiam in libris Duridis eundem fuisse dissimile veri est, sed Plutarchus illam de mulieribus Phocionis et de Phoco filio digressionem hoc loco interposuisse videtur, quod initio cap. 18 de altera ex illis, incertum est de utra, iam narraverat: ..... *τὴν μὴν γυναῖκα μάττουσαν κτλ.*

Charetem Mytilenaeum num alio quoque loco atque in fine cap. 17 Plutarchus secutus sit, est cur dubitemus.

Nec vero rerum scriptores solum sed etiam philosophos aliosque occasione data ille consuluit. Initio enim cap. V ad Zenonem provocat: *Ὡς γὰρ ὁ Ζήνων ἔλεγεν, ὅτι δεῖ τὸν φιλόσοφον εἰς νοῦν ἀποβάπτοντα προφέρεσθαι τὴν λέξιν ... κτλ.*

Secundum haec verba Zenonis Plutarchus testimonio Polyeucti Sphettii nititur: *Καὶ πρὸς τοῦτο ἔοικεν ἀπιδὼν ὁ Σφέττιος Πολύευκτος εἰπεῖν, ὅτι ῥήτωρ μὲν ἄριστος εἴη Δημοσθένης, εἰπεῖν δὲ δεινότατος ὁ Φωκίων.* Unde hoc de Demosthenis et Phocionis eloquentia iudicium sumpserit, Plutarchus in vita quidem de qua disputamus silentio omisit, sed in vita Demosthenis c. 10 se ex Aristone Chio hausisse fatetur.

Omnino Plutarchum in vita Phocionis conscribenda multiplici literarum Graecarum scientia quam habuit abusum esse atque occasione data recordationes interposuisse supra demonstratum est.

Quare quoniam eos locos, qui in hoc recordationum numero ducendi sunt, iam enumeravimus, reliquum est, ut de singulis pauca addamus.

De origine apophthegmatum eorum, quae, ut ab ultimo ordiamur, cap. 30 inde a verbis *Καὶ μέντοι ὁ Φωκίων — συγχορηγοῦσιν* de Demade narrantur, Klotz pg. 56 ne opinari quidem audet. Color autem idem in iis cognoscitur idemque studium leviora et aures legentium titillantia narrandi, quod

in ea Phocionis parte cognovimus, quam ex Duride Plutarchum sumpsisse docuimus. Itaque illa de Demadis fiducia arcae suae apophthegmata in cap. 30 Duridi attribuere non dubitamus. Apud Duridem autem, si libri eius exstarent, non eodem ordine, quo apud Plutarchum occurrunt, sed alio rerum contextu illa apophthegmata inveniremus. Hoc quidem primo quasi obtutu ex verbis *Καὶ μέντοι Φωκίων — ἐκαλλωπίζετο* apparet, quae ut orationem ad illa apophthegmata traduceret et converteret, Plutarchus addere coactus erat.

Altera recordatio, quae in scribendo animo Plutarchi subiit, in priore cap. 29 parte de Antigono invenitur. Klotz pg. 55 Hieronymi Cardiani libros eum secutum esse putat. Neque habemus, cur contra hanc sententiam loquamur.

Deinde longe maiorem cap. 28 partem de reliquo iam supra quasi resecuimus. Klotz pg. 51 eam Philochoro iusto ut videtur iure ascribit. Eodem autem auctore Plutarchus iam in extrema cap. 6 parte de die pugnae ad Naxum commissae eiusdem quidem v. d. iudicio (cf. pg. 32) usus erat.

Inde a capite 23 vita Phocionis historiam earum potissimum rerum continet, quae in ipsis Athenis vel in vicinia urbis acciderunt. Sed quoniam res in urbe gestae ex cursu atque exitu rerum bello Lamiaco gestarum pependerunt, de hoc bello quam paucissimis Plutarchus narrare non omisit. Res autem huius belli ille his locis respicit:

initio cap. 23: *Ὡς δὲ φέρων ἐνέσεισεν ὁ Λεωσθένης τὴν πόλιν εἰς τὸν Ἑλληνικὸν πόλεμον, κτλ.*;

cap. 23 med.: *Ἐμαρτύρει δὲ αὐτῷ καὶ τὰ ἔργα: Πρῶτον μὲν γὰρ ὁ Λεωσθένης λαμπρὸς ἤρθη ταῖς πράξεσι τῶν τε Βοιωτῶν μάχῃ κρατήσας καὶ τὸν Ἀντίπατρον εἰς Λάμιαν συνελάσας κτλ.*;

cap. 25 extr.: *Τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἐν Θετταλίᾳ στράτευμα συμμίξαντος Ἀντιπάτρῳ Λεοννάτου καὶ τῶν ἐξ Ἀσίας Μακεδόνων ἐνίκα μαχόμενον· καὶ Λεοννάτος ἔπεσεν, ἡγουμένου τῆς μὲν φάλαγγος Ἀντιφίλου τῶν δὲ ἱππέων τοῦ Θετταλοῦ Μένωνος.*

initio cap. 26 usque ad verba *εἰρήνης πρέσβεις αὐτοκράτορας.*



Deinde in ultimis eiusdem capitis verbis: *Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ἐκέλευεν αὐτοῖς ἐπιτρέπειν τοὺς Ἀθηναίους, ὥσπερ ἐν Λαμίᾳ Λεωσθένης ἐκεῖνον·*

Cap. 27 med.: *Τῶν δὲ περὶ τὸν Φωκίωνα διαλεχθέντων — προσεκτίσασιν:*

initio cap. 28: *Οὕτω μὲν ἐδέξαντο φρουρὰν Μακεδόνων Ἀθηναῖοι καὶ Μένυλλον ἡγεμόνα, κτλ.*;

cap. 28 extr.: *Τῶν δὲ ἀποψηφισθέντων τοῦ πολιτεύματος διὰ πενίαν ὑπὲρ μυρίους καὶ δισχιλίους γενομένων κτλ.*;

cap. 31 initio: *Ἐπεὶ δὲ Ἀντίπατρος ἀποδείξας Πολυσπέρχοντα στρατηγόν, Κάσανδρον δὲ χιλίαρχον ἐξέλιπεν* usque ad *τὴν Μουνυχίαν παραλαβεῖν·*

cap. 32 inde ab *Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Πολυσπέρχων — Ἀθηναίους κελεύοντος·*

cap. 33 inde a *Πραττομένων δὲ τούτων διέφυγε τὸν κίνδυνον.*

Postquam locos quibus Plutarchus res belli circa Lamian gesti paucis commemorat deinceps enumeravimus, reliquum est, ut quem ille secutus esse videatur explicemus.

Reuss in libro: Hieronymus von Kardia hanc rem leviter tangit eamque accuratius cognoscere supersedet cf. pg. 40, 116, 117. Klotz autem, quantum scimus, primus fuit, qui Plutarchum Hieronymi Cardiani libros consuluisse diligenter exposuit. Qua in quaestione tractanda in eo nititur, quod Plutarchus cum Diodoro, quem in libro XVIII ex Hieronymo excerpsisse constat, ad verbum fere illis locis convenit. Longe absumus, ut ita esse negemus, sed ubique in Phocione quasi vestigia Hieronymi Klotz videt. Quotiens enim Plutarchus similibus modo verbis in rebus enarrandis utitur, totiens ex eodem fonte atque Diodorum eum hausisse ille v. d. putat. Quare non est supervacaneum, eos locos inter se componere atque comparare, quibus Klotz errare nobis videtur, ut uter nostrum rectius iudicaverit videre cuique liceat.

Apud Plutarchum cap. 34 med. haec verba leguntur:

*Οὐκ ἀνασχομένων δὲ τῶν πολλῶν ἀλλ' ἀνακραγόντων βάλλειν τοὺς ὀλιγαρχικοὺς καὶ μισοδήμους, ἄλλος μὲν οὐδεὶς*

*ὑπὲρ τοῦ Φωκίωνος ἐπεχείρησεν εἰπεῖν, αὐτὸς δὲ χαλεπῶς καὶ μόλις ἐξακουσθείς „Πότερον“ εἶπεν „ἀδίκως ἢ δικαίως ἀποκρῖναι βούλεσθε ἡμᾶς“; κτλ.*

Diodorus autem his verbis utitur (18. 66. 5.): *ὡς δὲ τοῖς ἀπολογουμένοις ὁ καιρὸς παρεδόθη τῆς ἀπολογίας, ὁ μὲν Φωκίων ἤρξατο ποιεῖσθαι τὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον, τὸ δὲ πλῆθος τοῖς θορύβοις ἐξέσεισε τὴν ἀπολογίαν, ὥστε εἰς πολλὴν κτλ.*

Quicunque incorrupte integreque iudicat, is Klotzium tamquam lineam transiluisse longiusque processisse concedet. Longe enim minor est hoc loco verborum similitudo inter Plutarchum et Diodorum quam reliquis locis, quos supra enumeravimus, neque quidquam aliud ex comparatione horum locorum efficitur, nisi auctorem quem Plutarchus secutus est, in contione illa turbulenta describenda a veritate non deflexisse.

Neque aliter iudicamus de locis qui sequuntur:

Plut. cap. 34 extr.

*Ἐπεὶ δὲ οὐδὲν μᾶλλον ἤκουον ἐγγυτέρω προσελθών „ἐγὼ μὲν“ εἶπεν „ἀδικεῖν ὁμολογῶ καὶ θανάτου τιμῶμαι τὰ πεπολιτευμένα ἐμαυτῷ, τούτους δέ, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, διὰ τί ἀποκτεινεῖτε μηδὲν ἀδικοῦντας;*

Cum his ea verba comparanda sunt quae apud Diodorum libro XVIII 67, 2 inveniuntur;

*τέλος δὲ ἀπογνοὺς τὴν σωτηρίαν ὁ Φωκίων ἀνεβόησε, δεόμενος αὐτοῦ μὲν καταψηφίσασθαι τὸν θάνατον, τῶν δ' ἄλλων φείδεσθαι.*

Plut. cap. 35 extr.:

*Ἐπικυρωθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος καὶ τῆς χειροτονίας ἀποδοθείσης, οὐδεὶς καθήμενος ἀλλὰ πάντες ἐξαναστάντες, οἱ δὲ πλεῖστοι καὶ στεφανωσάμενοι κατεχειρο τόνησαν αὐτ ῶν θάνατον.*

Diod. cap. 67. 3.

*Τὸ δ' ἔσχατον πανδήμῳ φωνῇ καταχειροτονηθέντες εἰς τὸ δειμωτήριον ἤγοντο τὴν ἐπὶ θανάτῳ.*

Plut. cap. 36 initio.

*Ὡς οὖν διαλύσαντες τὴν ἐκκλησίαν ἦγον εἰς τὸ δεσμωτήριον τοὺς ἄνδρας οἱ μὲν ἄλλοι, περιπλεκομένων τῶν φίλων αὐτοῖς*



*καὶ οἰκείων, ὀδυρόμενοι καὶ καταθρηνοῦντες ἐβάδιζον, τὸ δὲ Φωκίωνος πρόσωπον οἷον ὅτε στρατηγῶν ἀπ' ἐκ κλησίας προὐπέμπετο βλέποντες ἐθαύμαζον τὴν ἀπάθειαν καὶ μεγαλυψυχίαν τοῦ ἀνδρὸς οἱ δὲ ἐχθροὶ κακῶς ἔλεγον παρατρέχοντες κτλ.*

Diodorus (c. 67, 3) autem hoc modo narrare pergit:

*συνηκολούθουν δὲ αὐτοῖς πολλοὶ τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ὀδυρόμενοι καὶ συμπάσχοντες ἐπὶ τῷ μεγέθει τῶν ἀτυχημάτων· τὸ γὰρ πρωτεύοντας ἄνδρας ταῖς δόξαις καὶ ταῖς εὐγενείαις, πολλὰ πεπραχότας ἐν τῷ ζῆν φιλάνθρωπα, μήτε λόγου μήτε κρίσεως δικαίας τυγχάνειν πολλοὺς ἦγεν εἰς ἐπίστασιν διανοίας καὶ φόβον, ἀστάτου καὶ κοινῆς ἅπασι τῆς τύχης οὔσης. Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν δημοτικῶν καὶ πικρῶς διακειμένων πρὸς αὐτὸν ἐλοιδόρουν τε ἀνηλεῶς καὶ πικρῶς ὠνείδιζον αὐτῷ τὰς συμφοράς· κτλ.*

Toto hoc loco nihil Plutarcho commune est cum Diodoro nisi usurpatio verbi *ὀδύρεσθαι*.

Quam obrem quoniam iis locis, quos ad extremum comparavimus, Plutarchus longe alias voces plerumque elegit atque Diodorus, in hac sumus sententia, ut putemus, ultra verba illa *ἡ πὸλις διέφυγε τὸν κίνδυνον* in priore capitis 35 parte vestigia Hieronymi apud Plutarchum non amplius inveniri.

Klotz eos locos, quibus Plutarchi verba similitudem quandam cum Diodoro habent, enumerasse satis habuit atque ex hoc effecit, ut Plutarchus in Phocione componendo etiam Hieronymi libros sequeretur.

Dicet autem fortasse quisqiam, casu factum esse, ut ille compluribus locis easdem voces usurparet quas Diodorus, neque huic rei nimis multum tribuendum esse. Nam de iisdem rebus etiam similibus verbis narrari oportere. Haec dicenti respondebimus: Plutarchus de bello Lamiaco non solum aliquot locis cum Diodoro ad verbum consentit sed etiam iis locis, quibus idcirco quod res complurium mensium spatio gestas una comprehensione absolvit, verbum pro verbo Hieronymum describere non potuit, tamen per imprudentiam dictionem eius imitatus est. Diodorus enim in illo bello desribendo saepius verbo *παρατάττεσθαι* (XVIII c. 11 § 5 et c. 12. 4) et

substantivo *παράταξις* (c. 7. 6 et c. 15. 1) loco vocabulorum usitatiorum utitur. In eodem libro duobus locis composita verbi *σείειν* inveniuntur: 10. 1 *ἀνασείειν* et c. 66. 5 *ἐκσείειν*. Itaque apud Hieronymum haec vocabula Diodoro saepius occurrisse videntur. Easdem autem voces inusitatas iis ipsis locis, quibus de bello Lamiaco breviter complectitur, Plutarchus quoque initio capitis 26: *Ὡς δὲ φέρων ἐνέσεισεν ὁ Λεωσθένης τὴν πόλιν κτλ.* et initio cap. 26: *Ὀλίγῳ δὲ ὕστερον ..... γενομένης πάλιν ἐν Κραννῶνι παρατάξεως κτλ.* adhibet. Itaque non amplius dubium esse potest, quin Plutarchus in cap. 23—33 interdum sua ex Hieronymo sumpserit.

Atque porro quaerendum est, quomodo ille libris eius usus sit. Permultum enim interest, utrum Plutarchus, cum Phocionis vitam scriberet, ea quae de bello Lamiaco tradit ex libris Hieronymi ipsis hauserit, an epitomen consuluerit, in quam libros Hieronymi aliquando coegerat, an memoria illos locos ad hoc bellum pertinentes addiderit (cf. Ad. Schmidt in libro: Pericles und sein Zeitalter, II. pg. 54 in § qui die Grundsätze Plutarchs inscribitur). Nam scientia huius rei idcirco necessaria est, quod inde apparet, quam rationem ac viam ingressus sit in Phocione componendo. Rationem autem ac viam si cognoveris, eo facilius diiudicare poteris, quanta in unaquaque vita iis quae Plutarchus narrat fides habenda sit.

Ac nobis quidem Plutarchum de bello Laimaco secundum epitomen narrare videtur veri simillimum esse.

Ad hanc opinionem probandam doceamus necesse est, illum, antequam Phocionem scriberet, libros Hieronimi omnino cognovisse. Neque est, quod tam facile expedire possimus. Nam in Eumene, quae vita iudicio Michaelis in libello de ordine vitae parallel. Plut. Berolini nuper (1875) edito pg. 20 sq. inter primas quas Plutarchus conscripsit numeranda est, Hieronymum potissimum ille secutus est. cf. Reuss in libro: Hieronymus von Kardia. Deinde Plutarchus ea quae legit non numquam quidem excerpere solitus est. Nam se ea quae excerpsisset in unum quasi corpus confudisse ipse in libello de tranquillitate animi cap. 1 fatetur. cf. Schmidt in libro: Pericles und seine Zeit II 55. Quae cum ita sint, minime ad credendum difficile est, eum, cum de Phocione scribere aggrederetur, Hieronymi libros in epitomen iam coegisse. Aliter autem atque hac circuitione Plutarchus libris eius usus esse non potest idcirco, quod nihil mentis, qua ille in Graecos fuit, in Phocione invenitur. In Phocionis vita Graecorum et imprimis ducum oratorumque eorum, qui bello Lamiaco in civitate Atheniensium floruerunt, veram laudem ubique et constanter imminui, Hieronymum autem erga eos iustitiam colere supra demonstratum est. Tamen hoc loco ea verba silentio non praetermittenda esse videntur, quibus apud Plutarchum cap. 23 Phocio Leosthenem contemptim alloquitur: *Πολλὰ δὲ θρασυνομένου καὶ κομπάζοντος ὁ Φωκίων „οἱ λόγοι σου“ εἶπεν „ὦ μειράκιον, ἐοίκασι κυπαρίττοις· μεγάλοι γὰρ ὄντες καὶ ὑψηλοὶ καρποὺς οὐ φέρουσιν.“* Occulte igitur Athenienses levitatis temeritatisque iusimulantur, quod fama de Alexandri Magni morte in Graeciam perlata immaturo libertatis amore ad bellum contra Antipatrum incitati sunt. Longe aliter de iis Hieronymus Cardianus iudicat. Ille enim rei militaris peritissimus homo tum temporis divinam quasi occasionem libertatis recuperandae Atheniensibus fortunam dedisse scribit: .... *οὐκ ὄντες δὲ ἀξιόμαχοι τοῖς τούτου δυνάμεσι κατὰ μὲν τὸ παρὸν ἡσυχίαν ἦγον, ἐπιτηροῦντες καιρὸν εὔθετον·* (Diod. 18. 8. 7.) Quantumque ille absit, ut Graecos vituperet, ex verbis apparet, quibus ad res bello Lamiaco gestas transit: *κυρωθέντος δὲ τοῦ ψηφίσματος προχειρότερον ἦ συνέφερεν, οἱ μὲν συνέσει διαφέροντες τῶν Ἑλλήνων ἔφασαν τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων τὰ μὲν πρὸς εὐδοξίαν εὖ βεβουλεῦσθαι, τοῦ δέ συμφέροντος διημαρτηκέναι·* (Diod. 18, 10, 4).

Multum ab his verbis illa apophthegmata discrepant in cap. 23 altera parte apud Plutarchum, quae eo tantum spectant, ut quam recte futura animo Phocio prospexerit intelligatur: *Θουμαζόντων δὲ πολλῶν τὴν ὑπὸ τοῦ Λεωσθένους συνηγμένην δύναμιν καὶ τοῦ Φωκίωνος πυνθανομένου, πῶς τι παρεσκευάσθαι δοκοῦσιν αὐτῷ, „καλῶς“ ἔφη „πρὸς τὸ στάδιον· τὸν δὲ δόλιχον τοῦ πολέμου φοβοῦμαι, μήτε χρήματα τῆς πόλεως ἕτερα μήτε ναῦς μήτε ὁπλίτας ἐχούσης.“* et paulo inferius: .... *καί πάλιν*

*ἄλλων ἐπ' ἄλλοις εὐαγγελίων γραφομένων καὶ φερομένων ἀπο στρατοπέδου, „Πότε ἄρα" φάναι „παυσόμεθα νικῶντες;"*

Quid pluribus opus est? Ne vestigium quidem ullum in Phocione reliquum est aestimationis, qua Hieronymus virtutem Graecorum mensus est. Hoc autem accidere non potuit, si Plutarchus quo tempore vitam Phocionis componebat, eodem libros eius ipsos inspexisset.

Non omnes autem res, quas in epitome sua invenit, Plutarchus in vitam transscripsisse videtur. Nam aliquoties ea quae in Phocione leguntur, a Diodoro quasi complentur. Apud eum, ut exempla proferamus, XVIII. 15. 8 clades commemoratur, quam Macedones Atheniensibus attulerant, de qua apud Plutarchum nihil narratur. Praeterea idem reticet, Athenienses Antipatri iussu Sami insulae possessione cessisse, cf. Diod. XVIII. 18. 6. Nulla vero alia de causa has res Plutarchus praeterisse videtur, nisi quod scientia earum, ut cursus rerum in urbe gestarum intelligatur, minime necessaria est. Deinde excepto eo, quod in fine cap. 28 commemoratur, plus quam duodecim milia numerum eorum fuisse, qui ab Antipatro civitate spoliati essent, constanter certos et definitos numeros afferre omittit, quamquam ex auctore, quem secutus est, eos depromere potuit. Exempli gratia initio cap. 26 Craterum cum magno exercitu ex Asia in Europam venisse, Graecos ad Cranonem cladem haud magnam accepisse, numerum caesorum exiguum fuisse, capite 27 medio homines omnes sine censu civitate privatos esse Plutarchus dicit. Qui has voces indefinitas cum numeris, quos Diodorus memoriae prodit, composuerit, is inveniet, alterum cum altero non repugnare. cf. Diod. lib. XVIII. c. 16, 4, c. 17, 5, c. 18, 4.

Relinquitur, ut de apophthegmatis in capp. 4 — 10 unde sumta sint pauca dicamus.

Proximo (1881) anno in libello Ploenensi, qui Plutarchs apophthegmata regum et imperatorum inscribitur, Fr. Sass de ratione exposuit, quae inter Plutarchi vitas et ea scripta intercedit, quae moralia vulgo vocantur. Pg. 18 ad hanc adductus est sententiam, ut Plutarchum illa apophthegmata ante col-



legisse et cum ad vitas componendas se conferret, in eas transscripsisse putet.

Quamquam de origine quasi apophthegmatum in capp. 4 — 10 explicare nobis proposuimus, non quid rationis apophthegmata Phocionis in Moralibus cum vita habeant, tamen in hac re paulum commoremur necesse est. Nam quaestio, quid rationis Moralibus cum vitis sit, illam alteram quaestionem continet.

Apophthegmata Phocionis, quae in Moralibus inveniuntur, etiam in vita eodem ordine leguntur. Semel tantum accidit, ut Plutarchus ea apophthegmata, quae in Moralibus XV° et XVI° loco narrantur, immutato ordine afferat. Quatuor autem locis in vita pauca quaedam adduntur, quae in Moralibus desunt.

Hoc est primum apophthegma in Moralibus: *Φωκίων ὁ Ἀθηναῖος ὑπ' οὐδενὸς οὔτε γελῶν ὤφθη οὔτε δακρύων.* Multo pluribus in vita sub finem cap. 4 de habitu vestituque Phocionis narratur: *Φωκίωνα γὰρ οὔτε γελάσαντά τις οὔτε κλαύσαντα ῥαδίως Ἀθηναίων εἶδεν οὐδ' ἐν βαλανείῳ δημοσιεύοντι λουσάμενον, ὡς ἱστόρηκε Δοῦρις, οὐδὲ ἐκτὸς ἔχοντα τὴν χεῖρα τῆς περιβολῆς, ὅτε τύχοι περιβεβλημένος.*

Initio cap. 9 feneratori, cui Phocio pecuniam debuit, nomen Callicli fuisse Plutarchus commemorat. In Moralibus (V) nomen eius reticet.

XIII° loco ibidem illud apophthegma narratur, quod in vita initio cap. 25 invenitur. Ea autem quae in vita in altera parte eiusdem capitis de homine Phocioni dicto non audienti narrantur, iu Moralibus quaeruntur.

Denique in Moralibus (XIV) illa verba absunt, quibus Menyllus Phocionem dona recusantem Phoci filii admonuit: *Ἀλλὰ Φώκῳ γε τῷ παιδὶ λαβεῖν δεομένου τοῦ Μενύλλου, „Φώκῳ μὲν", εἶπεν „ἐάν μὲν σωφρονῇ μεταβαλόμενος, ἀρκέσει τὰ τοῦ πατρὸς ὡς δ' ἔχει νῦν, οὐδὲν ἱκανόν ἐστιν."* (Initio cap. 30 in vita).

Nihilo sequius is, qui apophthegmata Phocionis in Moralibus cum vita comparaverit, ex uno eodemque fonte ea hausta esse concedet. In hoc igitur cum Fr. Sass consen-

timus, in reliquis autem ab eo de Phocione quidem dissentimus. Nam ex eo, quod compluribus locis in vita Plutarchus uberior est quam in Moralibus, eum cum de Phocione scribere aggrederetur, ad fontem ipsum redisse, non apcphthegmata iam ante ex eodem excerpta in vitam transscripsisse intelligitur. Qua in sententia eo magis sumus, quod apophthegmata in Moralibus cum iis quae in vita repetuntur, rebus quidem consentiunt, constructione autem verborum differunt. Semel tantum fit, ut apophthegma et in Moralibus et in vita verbum ex verbo reddatur: in Moralibus IV et ultima verba capitis 8 inde ab *Ἐπεὶ δὲ λέγων ποτὲ γνώμην κτλ.*

Longe maior pars eorum apophthegmatum, quae in Moralibus inveniuntur, in iis capitibus vitae iterum occurrit, in quibus Plutarchum ex Duride Samio hausisse supra docuimus; reliqua vero (I — VII) in capp. 4 — 10.

Superest, ut de origine horum apophthegmatum paucis exponamus.

Neque iam dubium est, unde Plutarchus ea sumpserit.

In omnibus enim idem narrandi genus cernitur, quod quidem magis ad delectationem quam ad rerum explicationem spectat. Nec minus eorum proprium est, quod Phocio ubique laudatur, populus eiusque duces irridentur. Satis esse putamus, si ut id quod contendimus exemplis probemus, pauca apophthegmata repetamus.

Initio cap. 9. *Ὡς δ'ουκ ἐπαύοντο* sc. *οἱ Ἀθηναῖοι κεκραγότες καὶ καταβοῶντες, λόγον εἶπεν αὐτοῖς τοῦτον. Ἀνὴρ δειλός ἐπὶ πόλεμον ἐξῆει φθεγξαμένων δὲ κοράκων τὰ ὅπλα θεὶς ἡσύχαζεν· εἶτα ἀναλαβὼν αὖθις ἐξῆει, καὶ φθεγγομένων πάλιν ὑπέστη καὶ τέλος εἶπεν, Ὑμεῖς κεκράξεσθε μὲν μέγιστον ὡς δυνατόν, ἐμοῦ δὲ οὐ γεύσεσθε.*

Ibidem paulo inferius: *Ἐν δὲ καιροῖς ἐπισφαλέσι τραχυνομένου τοῦ δήμου πρὸς αὐτὸν σφόδρα καὶ τῆς στρατηγίας εὐθύνας ἀπαιτοῦντος. „Σωθείητε“ εἶπεν „ὦ μακάριοι, πρῶτον.“*

Illud apophthegma, quo in cap. 9 extr. Polyeucti obesitas luditur, supra iam commemoravimus.



Quibus rebus expositis non dubium esse potest, quin Plutarchus etiam in hac parte vitae Phocionis ex libris Duridis excerpserit. Nam stilum eius ex apophthegmatis in capp. 4 — 10 non agnoscere nemo poterit.

Quaestione de fontibus in Phocione ad exitum deducta reliquum est, ut quantum haec vita ad rerum tum gestarum cognitionem valeat, paucis explicemus. Neque iam incertum est, quid de ea iudicandum sit. Nam cum Plutarchus auctorem sequatur, a quo tibi cavendum est, ne nimis ei confidas, ea tantam pro certo habenda sunt, in quibus ille ab reliquis rerum scriptoribus non dissentit. Tantopere enim laudes Phocionis auctas esse vidimus, ut nonnumquam vix mica quasi veritatis narrationibus Plutarchi contineatur. Auctor autem eius eo consilio scripsisse videtur, ut Phocionem, hominem illum omnis elationis et magnitudinis animi expertem cum damno gloriae aliorum auctorem omnium virtutum et virum tum prae omnibus sincerum et prudentem describeret.

## *De vita Phocionis Corneliana.*

De auctoribus, quos Cornelius Nepos in vita Phocionis secutus sit, saepius iam scriptum est.

Anno 1827 I. I. Hisely Delphis Batavorum disquisitionem criticam de fontibus et auctoritate Cornelii Nepotis in lucem edidit. Anno iam proximo libellus eiusdem inscriptionis ab Eijssonio Wichers Groningae foras datus est. Denique nuperrime W. Klotz in libro, quem saepius laudavimus, pg. 67 seq. demonstrare studuit, Nepotem ex eodem fonte atque Plutarchum hausisse. In hac autem sententia idcirco est, quod apud illos duos scriptores aliquot locis verborum quaedam similitudo ei intercedere videtur. Sed iam Fr. Kraner in praefatione ad editionem vitae Phocionis Plutarcheae pg. 8 Nepotem longe alios atque Plutarchum et in Phocionem severiores atque iniquiores auctores ad manus habuisse videt. Itaque operae pretium esse putamus, si ea quae ille v. d. leviter tetigit, pluribus exponamus.

Ac primum quidem auctorem, quem Nepos secutus est, partium popularium fuisse manifestem est. Nam cap. 2 § 2 male patriam Phocionem illis temporibus consuluisse legimus, quibus Antipater cum exercitu ad Athenas appropinquavit. Laude igitur auctori Nepotis digni esse videntur, qui etiamtum ut Macedonibus resisterent civibus persuaserunt et populum Atheniensium ad libertatem defendendam vocaverunt.

Deinde illo loco Phocioni crimini datur, quod Atheniensibus auctor fuit, ut Demosthenes cum ceteris qui bene de republica meriti habebantur, in exilium expelleretur.

Tertium denique in §§ 4 et 5 eiusdem capitis Phocionis culpa Nicanorem in Piraei possessionem venisse plane dicitur. Klotzio quidem etiam hoc loco Nepos eadem narrare videtur quae Plutarchus, sed quibus rebus ille a Plutarcho discrepet, primo quasi obtutu apparet. Apud Plutarchum res quae occupationem Piraei praecesserunt, ita narrantur, ut Nicanorem idcirco portu illo potiri voluisse intelligatur, quo melius Athenienses ad recuperationem libertatis inclinatos coërceret. Nam epistola regis cognita, qua fore ut postestas populi ubique restitueretur, civitatibus Graeciae promissum erat, magnus in urbe ortus erat tumultus et Nicanor, qui ut cum Atheniensibus ageret, in contionem in Piraeum convocatam prodierat, vix insidiis a Dercyllo praetore eorum collocatis se eripuerat. cf. Plut. Phoc. c. 32. Causa igitur fuit, cur Athenienses Nicanorem metuerent. Poenas enim insidiarum eum non expetiturum esse nemo exspectare poterat. Nepos nihil de his rebus narrat, sed Phocionem pollicitum esse se Piraei obsidem fore tradit et hoc modo (cap. 2, § 5) pergit: Ad quem sc. Piraeum recuperandum quum populus armatus concurrisset, ille sc. Phocio non modo neminem ad arma vocavit sed ne armatis quidem praeesse voluit. Praeterquam quod Plutarchus Phocionem promisisse se vadem pro Piraeo sese daturum esse non commemorat, in ea quoque re Nepoti obloquitur, quod nunciato, Piraeum a Nicanore occupatum esse, Phocionem populum ad arma vocasse sed neminem apparuise initio cap. 33 narrat: *Πραττομένων δὲ τούτων ὁ μὲν Φωκίων*



*ἐθορυβεῖτο καὶ κατεφρονεῖτο τοὺς Ἀθηναίους ἐξάγειν βουλόμενος, κτλ.* Testimonio Nepotis igitur Phocio consulto Piraeum prodidit, secundum Plutarchum ille nimis quidem Nicanori confisus est, sed ab eo deceptus operam dedit, ut portum a Macedonibus occupatum in possessionem Atheniensium redigeret. Quae cum ita sint, quid magis consentaneum est, quam quod Nepos in fine capitis 3 legibus de Phocione factum esse iudicium scribit? Nam si vera sunt quae Nepos narrat, Phocio capitis poena dignus fuit.

Auctor autem, quem Nepos sibi elegit, non solum populi causam egit sed etiam Demosthenem amore amplexus est. Cap. 2 § 3 enim eius beneficia in Phocionem enumerantur: Namque auctus adiutusque a Demosthene eum quem tenebat ascenderat (Phocio) gradum, cum adversus Charetem eum subornaret; ab eodem in iudiciis cum causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat.

A Phocione autem animus auctoris, quem habuit Nepos, alienus fuit. Nam hoc ex verbis apparet, quibus Phocio in cap. § 2 obiurgatur quod, pro beneficiis meritam debitamque gratiam Demostheni non retulit: „Neque in eo solum offenderat, quod . . . . . , sed etia quod amicitiae fidem non praestiterat.“ Quin immo Phocionem adeo beneficiorum immemorem fuisse in § 3 Nepos pergit, ut Demosthenem prodere t: „Hunc (Demosthenem) non solum in periculis non defendit sed etiam prodidit.“

Quid pluribus opus est? Luce clarius, Nepotem prorsus alio ex fonte hausisse atque Plutarchum.

Iam quaeritur, unde Nepos hauserit. Stetit igitur ut ea quae exposuimus, paucis repetamus, auctor eius non solum a causa populi et ab adversariis Phocionis sed etiam laudes atque virtutes Demosthenis quasi cecinit.

Deinde eum historiam rerum illa aetate gestarum non tam historico quam rhetorico genere perscripsisse, misella Nepotis vita ipsa docet. Praesertim in cap. II ea figura oratoria Nepos saepius utitur, quam contrapositum vel graece *ἀντίθετον* vocant. cf. qe hac re Volkmann in libro: Die Rhetorik der Griechen und Römer, pg. 412 sq. Exempli gratia

initio huius cap. tali modo Nepos narrare pergit: Idem (Phocio) cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. Deinde in § 3: ab eodem (Demosthene) in iudiciis, cum capitis causam diceret, defensus aliquoties, liberatus discesserat. Ibidem: Hunc non solum in iudiciis non defendit sed etiam prodidit. Quae cum ita sint, in eo sententia sumus, ut auctorem, quem Nepos secutus est, hoc genus ornamentorum orationis usurpasse putemus.

Praeterea autem ille auctor adhuc ignotus in libris suis saepius ex numero eorum, qui cum Phocione partes optimatium secuti erant, imprimis de Demetrio Phalereo narrasse videtur. Nam inter eos qui optimatium causam agebant et potentia populi restituta in exsilium eiecti sunt praeter Phocionem Demetrius solus apud Nepotem (cap. 3, 1, 2) nominatur. Ex quo collegi potest, illum Nepotis auctorem eo consilio scripsisse, ut quantum optimates ac praecipue duces eorum, Phocio et Demetrius, rei publicae Atheniensium attulissent incommodi intelligeretur. Hoc certe nemo negabit, eum haud bono animo in Phalereum fuisse. Nam ita de eo interpretari non dubitamus, quod una cum Phocione illo — siquidem auctori Nepotis fides habenda est — proditore Piraei componitur.

Reliquum est, ut in quem ea cadant, quae supra exposuimus, paucis ostendamus.

Quamquam meram coniecturam de hac re pronunciari persuasissimum nobis est, tamen eam idcirco reticere noluimus, quod praeter Klotzium ne coniicere quidem de Nepotis fonte in Phocione quisquam ausus est. Nam Hisely et Wichers hanc vitam quasi transiliunt.

Ex numero eorum, qui de rebus tempore Phocionis gestis scripserunt, in neminem alium ea, quae exposuimus, melius quadrant, quam in Democharem, Demostheni sororis filium. Reliquit enim historiam temporum suorum, Ciceronis iudicio genere rhetorico scriptam. cf. Cic. Brutus 83 286. Ex quo apparet, Nepotem, cum de Phocione scribere aggrederetur, ex libris eius haurire potuisse.



Avunculum autem suum Democharem vehementer admiratus et singulari amore amplexus est. cf. Blass in libro: Attische Beredtsamkeit III 2, 306. Quid igitur magis consentaneum est, quam eum laudes Demosthenis auxisse, Phocioni adversarum partium duci et principi obtrectasse?

De Demetrio Phalereo quoque auctorem Nepotis non amice locutum esse supra opinati sumus. Forte fortuna Polybius lib. XII 13, 9 ex libris Democharis pauca verba excerpsit, ex quibus, quid ille de Phalereo iudicaverit, plane apparet: . . . . *φάσκων (Δημοχάρης) αὐτὸν (Δημήτριον) τοιοῦτον γεγονέναι προστάτην τῆς πατρίδος, καὶ ἐπὶ τούτοις σεμνύνεσθαι κατὰ τὴν πολιτείαν, ἐφ' οἷς ἂν καὶ τελώνης σεμνυνθείη καὶ βάναυσος. Ἐπὶ γὰρ τῷ πολλὰ καὶ λυσιτελῶς πωλεῖσθαι κατὰ τὴν πόλιν, καὶ δαψιλῆ τὰ πρὸς τὸν βίον ὑπάρχειν πᾶσιν, ἐπὶ τούτοις φησὶ μεγαλαυχεῖν αὐτόν. κτλ.* Iure igitur Demetrium a Democharе in historia non leviter perstringi Polybius l. c. dicit: *οὗ* sc. Demetrii *κεῖνος οὐ τὴν τυχοῦσαν πεποίηται κατηγορίαν ἐν ταῖς ἱστορίαις. κτλ.*

Quarum partium filius sororis Demosthenis fuerit, nec per se in dubio esse potest et Polybius l. c. eum in numero eorum fuisse plane atque aperte tradit, qui factioni Antipatri amicorumque eius obviam obstiterunt: *ἀλλὰ πολλοὶ μὲν ἂν τῶν Ἀντιπάτρου φίλων, καθ' οὓς πεπαρρησίασται* sc. *Δημοχάρης πολλὰ καὶ δυνάμενα λυπεῖν μόνον αὐτὸν τὸν Ἀντίπατρον ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐκείνου κτλ . . . . πολλοὶ δὲ καὶ τῶνἀντιπεπολιτευμένων, ὧν ἦν καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.* (Poly b. XII 13, 8).

Quare quoniam ea quae ab auctore Nepotis postulavimus, universa in Democharem cadunt, illum in vita Phocionis libros eius consuluisse putamus.

Dicet fortasse aliquis, Nepotem libros Democharis omnino non novisse, quod neque ipse eos laudavit neque quisquam illum inde hausisse adhuc probavit.

Talia autem dicenti haec respondemus.

Cornelius in amicitia cum Cicerone fuit (cf. Teuffel, Röm. Literaturg. 180, 3, 195, 3) atque tam familiariter cum eo vixit, ut alter cum altero de studiis literarum communicaret.

Huius rei testimonio ea verba sunt, quae ex Ciceronis epistola ad eum scripta in qua ille de eloquentia C. Julii Caesaris locutus est, apud Suetonium in vita Caesaris cap. 55 leguntur. Apud Ciceronem Democharis bis nominatur: primum de orat. II 23, 95, quem locum iam laudavimus, deinde in Bruto 83, 286. Utroque loco inter eos, qui Demosthene principibusque illorum temporum oratoribus exstinctis maxime tum viguerunt, Cicero Democharem ita commemorat, ut eum in historiis et orationibus, quas propinquus ille Demosthenis reliquit, non mediocriter versatum esse intellegatur. Eoque minus veri simile est, praesertim ex familiaritate illa quae ei cum Cicerone intercessit, scientiam Nepotis historias Democharis fugisse.

Quapropter si non certum, tamen haudquaquam incredibile est, Nepotem in Phocione libros Democharis consuluisse. Hoc saltem probasse nobis videmur, eum non ex eodem fonte unde Plutarchum hausisse.

COLUMBIA UNIVERSITY
0026058464

88P71 FF
Fricke
Quaestiones de fontibus Plutarchi